

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICA**  
**SISTENS**  
**GENERALIA ICTERI**  
**QUAM**  
**ANNUENTIBUS.**

**MAGNIFICO DOMINO**

**PRAESIDE ET DIRECTORE SPECTABILI DOMINO**  
**DECANO AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS**  
**PRO DOCTORATUS MEDICINAE LAUREA RITE**  
**CONSEQUENDA IN ALMA AC CELEBERRIMA**  
**UNIVERSITATE HUNGARICA PESTIENSI PUB-**  
**LICAE DISQUISITIONI**

**SUBMITTIT**

**ANTONIUS HORVÁTH,**  
**HUNGARUS SAAROSIENSIS.**



**Theses adnexae defendentur in palatio majori Univer-**  
**sitatis, die      mensis Septembris 1831.**

---

**PESTHINI,**  
**TYPIS LANDERERIANIS DE FÜSKÜT.**


**AMPLISSIMO**  
**MAGISTRATUI AC ELECTAE**  
**CIVIUM COMMUNITATI.**  
**LIBERAE REGIAEQVE CIVITATIS**  
**BARTPHENSIS.**  
**DOMINIS SIBI GRATIOSISSIMIS:**



HAS SUAS

**MEDICINAE PRIMITIAS,**

**IN VENERATIONIS, CULTUSQUE PEREN-  
NIS TESTIMONIUM, SACRAS VULT.**



**AUCTOR.**

## **P r a e f a t i o.**

**L**iquida quaedam organismi humani e sanguine in diversis organis secreta, antequam e corpore eliminantur, ad diversos usus Oeconomiae animalis impenduntur. Praecipua vero ad vitam animalis faciens secretio biliosa est. A recto secretionis hujus statu Chylificationis, Assimilationisque functio, sicque totius dependet organismi perfectio, qua quoquomodo a normali habitudine aberrante complurium morborum genesi occasio datur. E quibus eum abnormis se-et excretionis bilis morbum, qui sub Icteri nomine notus est, pro Objecto Dissertationis assumere proposui; morbum utpote late per orbem disseminatum, nec in nostra quoque Patria rarum describere placuit. Neque tamen tenui hoc opusculo naturam, Therapiamque morbi, ob arctissimum adhuc, quo cognitiones meae practicae restringuntur limitem, novis quibusdam locupletare, aut illustrare in-

tendebam, valebamque, quae observationem diuturniorem, experientiam uberiores, iudicium practicum maturius, pluribusque imbutum cognitionibus ingenium exigit, quibus cunctis Tyronem nuper e ludo literario egressum destitutum esse, neminem latebit; sed ea saltem quae per castam Observationem, summae experientiae virorum ex operibus adnotatis, de morbo hocce mihi innotuere excerpsi, tum quae ex cursu biennali practico in usum convertere valui, descripsi. —



## I. Denominaciones, Definitio, et Monographiae Morbi.

Icterus, Hungaris sárgaság sárgakór, Germanis die Gelbsucht, diversas apud Auctores, ut plurimum a symptomate praecipuo, alienatione quippe coloris cutanei petitas, sortitus est Nomenclaciones; sic: nonnullis morbus flavus, aliis Aurigo dicitur, a non paucis imprimis antiquioribus morbus regius, a quibusdam vero Arcuatus, aut potius morbus arcuatus appellatur. Morbum sistit se-et excretionis abnormis, Bilis, sese manifestantem, per liquidum biliosum infra cutim, et in complures organismi solidas, fluidasque partes effusum, indeque earum colorem flavum, flavo virescentem, aut flavo nigricantem proveniente.

Morbus jam venerandae antiquitati notus, ob ipso quoque Patre Medicinae Hippocrate descriptus; ad naturam tamen illius uberius elucubrandam contulere imprimis conamina auctorum recentioris aevi; sequentes vero legi merentur de hoc objecto Monographiae:

J. B. Bianchi.

**J. B. Bianchi** *Historia Hepatis s. Theoria et Praxis omnium morborum Hepatis, et Bilis etc. c. Taurini 1710.*

**Richter** *Dissert. de Cachexia Ictericæ Göttingæ 1745.*

**Kemme et Bohm** *Dissert. de Ictero Hallæ 1780.*

**Müller** *Dissert. exponens Originem Icteri Jenæ 1788.*

**J. Ph. Bogler**, *von der Selbstucht, und deren Heilart Weßlar 1791.*

**Ludvig** *Dissert. de Ictero Lipsiæ 1794.*

**Jos. Lembke** *Dissert. continens analecta ad Icteri Aetiologiam spectantia Göttingæ 1795.*

**Charleville** *Dissert. variae Theoriæ de proxima Icteri causa Fr. a V. 1795.*

**Sümering** *de concrementis biliaris corporis humani Francofurti 1795.*

**Bernhardi** *Dissert. de Icteri naturâ Erfurti 1799.*

insuper *Opera Auctorum sequentium :*

**Aug. Gottl. Richter** *Specielle Therapie* herausgegeben v. **Georg Aug. Richter. Vienne.**

**Wilhelm Andr. Haase** v. *Chronischen Krankheiten* 3. B. 148 S.

**J. P. Frank** *Epitome de curandis Hominum morbis.*

**Max. Stoll** *Praelectiones in diversis morbis chronicis* vol. 2. p. 279.

## II. Symptomatologia, ac Diagnosis Icteri.

Symptomata, quae Diagnosim morbi illustrant, stabiliuntque in duplicem seriem dispesci merentur; alia quippe, quae plenae morbi evolutioni praeire solent,

alia vero, quibus morbus evolutus insignitur. Illis, quae diebus aliquot, non raro septimana una alterave praecedunt, quaeque saltem in rarioribus desiderantur casibus, haec fere adnumerantur, quippe: tensio dolorifica in regione hypochondriaca dextra, epigastricaque, dolor quidam obtusus in regione dorsali, delassatio artuum, defatigatio justo major insequitur post motus, et labores consuetos, capitis gravitas, functionum psychicarum exercitium minus alacre, morositas animi, somnus inquietus variis turbatus insomniis, cutis sicca, non raro pruriens, alvus segnis, urina redditur turbida, brunescens. — Symptomatibus his prodromis associantur, alienatio functionum Digestionis, et Assimilationis organorum, quae in immediato cum Hepate, totoque Systemate Cholopoëtico existunt nexu, hinc; sapor amarus, Appetitus imminutus, anorexia, sensus ponderis in regione epigastrica imprimis post pastum, flatulentiae intestinorum, nausea, ructus amaricantes, non raro horripilationes cum calore alternantes. —

Prodromis his jam breviori, jam longiori tempore praegressis, Icterus ipse suis pathognomonicis insignitus symptomatibus, comparet; inter haec maxime characteristicum constituit color cutis, initio dilute flavus, dein intensitate auctus, evadit virescens (J. viridis) et in summo morbi gradu in flavo nigrum (J. niger v. Melas Icterus) degenerat. Color hic abnormis primo, et in Aethiopibus unice in albuginea oculi, dein in facie imprimis in regione temporali, ac circa pinas nasi, in collo, in genere quidem in partibus tenera epidermide tectis, conspicuus evadit, successive per reliquam diffunditur cutim, et quidem saepe saepius per universam cutim aequabiliter extensus, non raro tantum ad unam partem;



in rarioribus tantum casibus ad unum alterum ve latus corporis (J. dimidiatus) restrictus est. Qui color abnormis a Bile infra cutim effusa sine dubio proveniens, nequaquam ad sola integumenta communia limitatus est, sed morbo diutius perseverante, reliquae quoque organismi partes solidae, fluidaeque eundem plus minus contrahunt, ita: muscoli, ligamenta, tendines, membranae, cartilagineae, ossa, ungues, ipsi pili, diversa porro viscera, cerebrum ipsum flavo tinguntur colore; sic plurima se-et excreta eodem colorata visuntur, ut: serum sanguinis, \*) saliva, sputa, sudor, imprimis vero unquam desideratur secretio haec bilis in urina, quae flavo brunea, cerevisiae similis, cum sedimento saepe profundi coloris, linteaminibus, chartaeque intinctis flavum impertiens colorem; non deerant casus ubi ipse humor aqueus hoc impregnatus colore erat, unde cuncta visui oblata objecta flava conspiciebantur. Praeter colorem flavum, tamquam maxime pathognomonicum symptoma, cuncta fere inter prodroma recensita, intensitate augentur, ut: tensio hypochondrii dextri, et regionis epigastricae, pruritus cutaneus noctu imprimis molestus, functiones organorum Digestionis, et Chylificationis perturbatae, hinc nausea, ructibus, anorexia, flatulentis divexatur aeger, alvus ut plurimum parca, obstipa, excrementa grumosa, a defectu, principii tingentis biliosi, albogrisea, minime cohaerentia, non raro tamen alvus est diarrhoica biliosa cum torminibus. Pro diversitate porro constitutionis individualis, complicationis, et momentorum pathogeneticorum, et alia observare licet

---

\*) C. Clariou experimentis evicit bilis praesentiam in ipso quoque sanguine Ictericorum.

phoenomena morbosa, ita dum Icterus complicatur cum Hepatide, adest dolor jam obtusus jam acutus fixus hypochondrii dextri, anxietas, dispnoea, cephalaea, sensatio dolorifica in regione scapulari dextra, symptomataque febris jam mitioris, jam intensioris. Praesente infarctu aut induratione scirrhusa Hepatis, tangitur tumor variae intensitatis, et duritiei in regione Hepatis, doloris defectus, febris absentia, nausea, et vomitus. Si Icterus proveniat a calculis biliosis in ductus biliosos irreptis, tunc praeter communia symptomata J. Aeger excrucietur doloribus acutis e hypochondrio dextro semet extendentibus versus regionem epigastricam, umbilicalem, adest nausea, vomitiones, vomitus ipse initio ingestorum, dein bilis, anxietas summa, pulsus parvi saepe irregulares, sudor comparet frigidus in fronte, sub quibus phoenomenis effusio bilis in cutim contingit, durant haec Symptomata per dies duas, tresve, dein remittentibus doloribus, et subsecuta per largiorem alvum calculorum evacuatione Icteri phoenomena disparent. Aliis quoque complicationibus locum esse, quas hic enumerare longum foret.

### III. Differentiae, ac Divisiones Icteri.

Multiplices sunt quae in diversorum Auctorum Monographiis occurrunt divisiones Icteri, quas licebit hic loci attingere, sic: quoad praesentiam aut absentiam aliorum morborum distinguitur I. simplex, ac complicatus, Spectata causa, et sede morbi, in I. idiopa-

thicum, sympathicum, et symptomatum prout causa illius in systemate cholopoetico, vel in aliorum organorum abnormi statu sita est. Spectato numero aegrorum Ictero ex eadem causa affectorum dispescitur in I. sporadicum, epidemicum, ac endemicum. Primus sub zona temperata frequens, posteriores zonae torridae ut plurimum familiares. Ratione coloris dividitur in I. flavum, viridem, et nigrum (melas Icterus) ratione durationis, in acutum, et chronicum, ratione typi in continuum, et intermittentem. Spectato periculi gradu, in mitiorem, graviolem qualis est viridis, et periculosissimum qualis potissimum Melas I. censetur esse. Re late ad praesentiam febris concomitantis dicitur febrilis, et a febrilis. Distinguitur porro Icterus neonatorum, et gravidarum.\*)

Differentiarum ac divisionum, ex variis respectibus deductarum, etsi valor, ac utilitas sua in praxi haud denegari possit, his tamen cunctis praesferendam existimo Icteri divisionem sec. o. Haase stabilitam, videlicet: in I. Spasticum, Hepaticum, et Calculosum; per hanc utpote divisionem medicus tum in determinanda prognosi, quam ad hibenda therapia plurimum dirigitur.

Spastici I. existentiam cl. Bosquillon in dubium vocavit, ceterum opinioni huic exper. viri, experientia cel. virorum, et methodus medendi repugnat. Consistit vero I. spasticus, in spasmodica Hepatis, Cystidis felleae, ac ductuum biliosorum contractione, evacuationem bilis in intestinum duodenum impediens, hic ut plurimum celeriter, absque praegressis prodromis, in individuis sensibilibus, irritabilioribus, habitus hysterici

---

\*) Cel. Hoffmann distinguit etiam I. a plethora.

evolvitur; decursus ejus reuenter citissime absoluitur.

I. Hepaticus, qui per status varios morbosos in Aetiologia adducendos, circulum sanguinis normalem in Hepate perturbantes, aut obstaculum influxui sanguinis venae portarum in Hepar secretioni bilis per oeconomiam animaleam destinati ponentes, producit. Est proin I. hicce variorum vitiorum Hepatis, aut viciorum viscerum abdominalium sequela. Diagnosi hujus speciei I. clara redditur per lentam suam, non nisi post praegressa breviori, aut longiori tempore prodroma evolutionem, diuturniorem prae ceteris emittit decursum, propriaque est individuus temperamento cholericis atrabilioso praeditis.

Icterus calculosus (chololithus), ab obstructione ductus hepatici, ac choledochi per concrementa biliaria proveniens, dignoscitur eo, quod aeger divexetur doloribus acutis non raro atrocissimis, e regione hypochondriaca dextra versus epigastricam excurrentibus, quibus alia etiam dira symptomata in Symptomatologia jam commemorata, adsociantur. cel. insuper Hoffmann ad cognitionem hujus I. adducit dolorem in regione staphylari dextra ac sensum ponderis ad cartilagineam xiphoidaeam. Confirmant diagnosi I. calculosi, temperamentum melancholicum, dolores colici dirissimi, cum affectionibus Spasmodicis periodice recurrentes, vel maxime vero calculi per vomitum, aut excretionem alvinam expuls. Icterus Neonatorum, et Gravidarum in Specie describere, non est hujus loci Objectum:

#### IV. A e t i o l o g i a .

Natura morbi cujuscumque eatenus saltem exacte noscetur, si attente combinatae Symptomatologiae, junctum sit Aetiologiae debitum examen. Recensitis jam quibus dignoscitur I. morborum signis, superest ut §. isthoc Pathogeniam ejus attingam; triplicis vero momenti ratio hic habenda, Dispositionis quippe in morbum; causarum occasionalium; et causae proximae.

Cum morbus iisdem saepe sub adjunctis externis, quaedam citius corripiat individua, dum alia diu, aut penitus intacta relinquit, patet variam esse Hominum ad eundem Dispositionem, haereditate subinde acquisitam, aut tardius aetate proveciori per diversas potentias nocivae productam. Quotidiana quidem convincimur experientia Ictericum nulli aetati, nullique sexui parcere, ad nullum anni tempus restrictum; castae tamen virorum in arte celeberrimorum observationes extra dubium ponunt, Homines temperamento cholericis, habitu atrobiliari, quorum Hepar irritabilis, quorum systema cholopoeticum eminentius evolutum est, praeceteris citius I. affici, majori denique receptivitate gaudent ii, qui variis Hepatis, aut vicinorum organorum vitiis, quorum ope circulatio sanguinis in Hepate, et Systemate venae portae quoquomodo perturbatur, laborant, porro qui saepius jam I. perpassi, ingratis animi affectibus dediti, qui ira imprimis frequentius exardescunt, facilius in I. incidunt. Relate ad sexum femininus, relate ad aetatem tenera, et virilis majore pollet dispositione.

Causae occasionales, quae praesente dispositione, morbo generando favent, longe plures sunt, quam ut

omnes hoc opusculo comprehendendi possint. Quarum aliae immediate in Systema cholopoëticum agentes; aliae vero multiplici quo vicinâ cum systemate bilioso in nexu immediate constituta viscera, aut remotiores organismi, cum eodem tamen Systemate summum consensum foventes partes, stimulo afficientes, morbum producunt. Ad priores referre licet: mechanicas hypochondrio dextro quoquomodo illatas laesiones; porro cuncta obstacula difficilem, aut plane impeditam bilis, in intestinum duodenum effusionem causantiâ, quod Spissitudo bilis, calculorum in hepate aut cystide fellea generatio, eorumque in ductus biliosos propulsio, vermes in hepate, aut ductibus biliosis nidulantes, efficere valent; huc demum pertinent diversi status morbosî hepatis, vel vesicae felleae, ut: inflammatio chronica, suppuratio, steatomata, infarctus, tubercula, indurationes scirrhusae, omnis denique compressio hepatis per tumores, indurationes, scirrhusitates vicinorum organorum liberum effluxum bilis in canalem alimentarem cohibens, qualis insuper per uterum gravidum, per sordes gastricas, intestinalesque accumulatas, ac induratas, quod imprimis apud neonatos per accumulatum, ac inspissatum Meconium obtingit, producitur. Emetica, drastica purgantia, abusus spirituosorum, animi pathemata ingrata, ut indignatio, terror, ira non dispositionem solum exaltant, sed ipsum non raro per stimulum, quem systemati cholopoëtico imprimunt validum, excitare observata sunt morbum. Non raro aer atmosphaericus, temperatura ejusdem depressa in corpus calens agens antagonistiche excitat I.—Calor summus, qualis imprimis regionibus zonae torridae proprius, et apud nos fervida aestate observatur, dispositionem potius tantum pro Ictero, et

aliis morbis hepatis cum secretione bilis adaucta prædit, et exallat. Repentina aeris mutatio, peculiarisque ejus per observationes medicas definienda constitutio, epidemico imprimis ac endemico I. (quales in India orient. et occident. per observatores descripti existunt) excitando favent. Symptomaticus inducitur I. per Hepatitidem, febr. biliosam, febr. flavam americ. per febr. intermittentes diurnas autumnales imprimis quartanas. Sympathice per vulnera capitis, per commotiones cerebri, per morsum viperarum, serpentum venenatorum. Metastatice per suppressionem hæmorrhagarum habitualium, ut: fluxus hæmorrhoidalís, aut menstruorum in sexu sequiori. Interdum per repentinam suppressionem diarrhoeæ, per retropulsa exanthemata, celeriter exsiccatas impetigines exortum fuisse I. Observationes cel. virorum docent.

Quod proximam concernit causam de hac variæ existant auctorum opiniones. Credebant a. Equitus, bilem quantitate justo majori secretam in c. em intestinale effusam, hincque per vasa lac ea absorptam, ac in circulum sanguinis adductam, morbi essentiam constituere. a) Alii contendebant I. per transsudationem bilis ex cystide fellea, ejusque per vasa lymphatica absorptæ, in Systema hæmatophorum inductæ produci. b) Fuerunt alii qui genesis I. ex obstructione quoquomodo ductus choledochi explicare conati sunt, asserentes per venas hepaticas, ac cysticas accumulatam bilem hinc absorberi, ac in cuti secerni debere c). Opiniones has refutare, cum alioquin abunde per cel. Dreyszig refutatae sint, hic, loci parsimonia non admittit. —

a) Boërhaave Zedrini. b) Selle. c) F. C. Bang.

Recentiores d). Statuebant bilis in hepate secretionem impeditam, eamque ad instar aliorum organismi humorum in vasis cutaneis vicario modo secerni; hoc etsi in nonnullis casibus in dubium vocari non possit, minime tamen essentiam morbi exhaurit, repugnat enim huic opinioni observatio I. cum polycholia. cel. Marcus asserit causam proximam I. esse hepatitidem, quam etsi in casibus nonnullis locum habere certum sit, asserto tamen experientissimi viri nimio, repugnant phoenomena in vivo, effectus therapiae, et sectio cadaverum.

Colorem cutis flavescens a bilis in Systema cutaneum facta depositione, exoriri, omni dubio vacat, causa tamen proxima, per quam Secretio haec bilis in cuti reliquisque organismi partibus contingit, minime una, eademque. Ego in explicanda essentia morbi triplicem causam proximam assumo, nimirum

a) vel Secretio bilis largior contingit quae majori etiam quantitate per venas hepaticas, ac vasa lymphatica absorpta sangvini venae cavae illata, ac in cutim deposita Icteri phoenomena producit. (I. a polycholia) Status dynamicus secretionem hanc largiorem producens, et sustentans est duplex; aut enim Hepatis functio morbose exaltata est, per statum hypersthenicum per varias causas inductum (I. inflammatorius), aut cuncta hepatitis phoenomena desiderantur, sed functio hepatis morbose intenditur, per irritabilitatem (hyperkinesiam hepatis) adauctam, quod in Ictero Spastico qualis in irritabilioribus individuis per animi affectus, refrigerium, morsum viperarum serpentum excitatur, observare licet, vel nimirum.

---

d) Hoven, Sprengel, Henke.



b) Secretio bilis quantitate normali non excedit, sed evacuatio ejus normalis in intestinum duodenum per diversa partim dynamica ut spasmus ductus choledochi partim mechanica multiplicia, aut in hepate immediate, aut vicinis visceribus sita, mox ante adlata obstacula, prohibetur; hinc absorptione ejusdem bilis per venas, vasaque lymphatica contingente, et tam in Systema cutaneum, quam reliquas solidas, liquidasque partes facta depositione, Icteri conspicua evadunt symptomata, aut denique

c) Dum organi bilem diversis usibus oeconomiae animalis impendendae discernentis, functio secretoria plene, aut per vitalitatem ejus imminutam, sublata, aut diversa, organisationem hepatis laedentia vitia sufflaminata perstat, quo bilis, ut id de aliis quoque liquidis animalibus observare est, vicario modo in cuti imprimis ac urina secernitur, Icterus suis insignitum Symptomatibus sistens.

## V. Terminationes, et Prognosis Icteri.

Icterus, ut quilibet alter morbus triplicem sortitur Exitum, vel enim in sanitatem, vel in morbos alios abit, aut vero ipsam mortem adducere valet.

Optatissimus morbi in sanitatem transitus jam artis auxilio, jam ipsius autocratiae naturae conamini debetur. Exitus hic felix qui frequentissime observatur, non raro lente per lysim producitur, saepe cum evacuationibus criticis, ut sudore largo universali, vomitu aut diarr-

hoec biliosis, urina turbida, seimento largo instructa, interdum haemorrhagiae oriticae locum habuere, et juxta nonnullorum observationes ptyalismus criticus visus est. Cel. Kreyszig observationes adducit ubi, miliarium, herpetis, erysipelatis, ac furunculorum eruptione, morbus solutus est. Evacuationibus his contingentibus, color cutis flavus diluitur, semperque magis normalis redditur functio organorum digestionis, urina fit clarior, alvus tingitur. Quod si optatus hic Icteri exitus intra dies 7—14 non contingat, chronicum adipiscitur decursum, et praeter coloris abnormitatem, per menses, imo annos pruritu cutis molestissimo, variis turbis organorum digestionis, et chylificationis aegros divexare continuat, donec serius, aut ocyus sangvificatione ipsa, ac nutritione imperfectioribus redditis, cutis color profundior, animi morositas, aspectus tristis, corporis emaciatio magis, et magis increscens evolvatur, habitumque Aeger vere cachecticum exhibeat, cui tandem febris hectica, hydrops, tympanitis aut interdum Symptomata scorbuti associantur, comparet vomitus, diarrhoea cruenta symptomata f. putridae, vel putrido nervosae, qui infausti exitus miseriis aegri finem morte imponunt. Ut adeo Icterus quamvis non immediate, per morbos tamen secundarios eidem associatos vires vitales exstingvere valeat.

Perpensis paulo ante recensitis terminationibus, Icterus per se spectatus, etsi in plurimis casibus morbum minime periculosum, solis saepe autocratiae naturae viribus medicatricibus debellandum constituat; non raro tamen salutem aegrorum summo exponit discrimini, adeo; ut Praesagium ejus in genere non aliud quam dubium statui possit. In Specialius dijudicanda prognosi attentio dirigenda in momenta pathogenetica, speciem

morbi, ejus gradum, durationem, constitutionem individua-lem, complicationesque ejus. Icteri Spastici prognosis faustissima statui potest, hic enim citissime therapiae congruae cedit; magis vero cautus sit Therapeuta in pronuntianda prognosi **I.** calculosi, et sic dicti hepatici; prior quidem calculis ductum hepaticum, aut choledochum obstruentibus secessis, frequenter radicaliter tollitur; accedit tamen persaepe, ut morbo sublato citius, aut tardius nova genesi calculorum oborta, pristinae lugubris scenae aeger victima evadat et repetitis vicibus maligni **I.** atrocibus divexetur cruciatibus; in casibus vero nonnullis, si benigna natura his expellendis non opituletur, aut notis auxiliis medicis ejectio eorum non procuretur, justo infaustae prognosis metum inducit, inter summos siquidem cruciatus morbus morte tandem terminatur. Sponte vero patet **I.** Hepatici per varia systematis cholopoëtici, aut vicinorum organorum vitia producti, ac sustentati prognosim non aliam, quam dubiam declarandam. Si haec ejus sint indolis, ut adaequatae therapiae cedant, sanitatis restitutionem praesagire medicus non abhorrebit; quod si tamen omni adhibito conatu, optimae etiam therapiae resistant, metus justus est, ne supra attacti exitiales exitus, morbo finem funestum adducant. — **I.** Neonatorum per leviores causas, ut meconium spissum productus, et sustentatus, plurimis in casibus faustissimam admittit prognosim, sola saepe autocratiae natura, aut mitiori therapia sanandus, prognosis **I.** neonatorum hepatitis associati majorem cautelam expostulat. — **I.** Gravidarum quoque non multum per- timescendus, Si is per compressionem mechanicam uteri in hepar inductam producat; causa siquidem excitante, et sustentante per partum sublata, tollitur ipse mor-

bus; nihilominus si genesis I. nominati aliis causis ex-  
 ci tantibus tribuatur, pro diversa indole harum, diver-  
 sam quoque nanciscitur prognosim. Spectato gradu eo  
 praesagium certius, et laetius, quo mitior morbus, eo  
 magis dubium; et tristius, quo altior morbi gradus, quo  
 magis extensus, quò gravioribus stipatur symptomatibus,  
 quoque profundior color eo majorem expostulat medici  
 attentionem in stabilienda prognosi, hinc perfecta resti-  
 tutio sanitatis in I. flavo citius speranda, quam in viri-  
 di; melas I. vero prognosim semper tristis manet. Re-  
 spectu constitutionis individualis feliciter praesagiet  
 medicus prognosim, si individuum habitus boni, aetatis  
 non nimis provectorae, neque morbis praegressis exhau-  
 stum, quam dum subjectum curae suae sit, habitus de-  
 pravati, constitutionis atrobiliaris, porro cujus vires  
 reproductivae jam languidae, aut cui cum caterva mor-  
 horum, imprimis vero Ictero jam colluctandum erat.  
 Quo recentior morbus, quo minus periculosae complica-  
 tiones ejus, quo denique leviores causae morbum pro-  
 ducentes, ac sustentantes, eo citius sanitatis restituti-  
 onem admittit, quam is qui longiorem jam emensus de-  
 cursum, cujus causae minus, aut nequaquam sufferri que-  
 unt, qui fors per vitia omni conatui rebellia, aut plane  
 incurabilia sustentatur; Icteri igitur a refrigerio, a sa-  
 burra, animi affectibus causati praesagium majori cum  
 probabilitate faustum, per infarctus, indurationes, scirr-  
 hos, exulcerationes hepatis, aut similia vitia aliorum  
 abdominis organorum sustentati, anceps statuendum erit.

## VI. Autopsiae Cadaverum.

In sectione cadaverum varias adreperire licet partim in systemate cholopoëtico, partim in vicinis visceribus abnormitates. In casibus frequentioribus videre est plures organismi partes flavo tinctas colore, ut: masculos, ligamenta, tendines, membranas, imprimis vero viscera abdominis abnormi hoc colore impraegnata fuisse; non raro in cavis abdominis, et pectoris serum flavicans jam majori jam minori quantitate collectum; frequentissime vero cadavera Ictericorum exhibuere varios status morbosos Hepatis, Cystidis felleae, ductuum biliosorum, ac venae portae. Hepar videlicet volumine auctum, coloris caeruleo virescentis, sanguine venoso, aut concrementis biliariis infarctum, non raro durum, abnormiter contractum, signa inflammationis, suppurationis, aut gangrenae. Cystis fellea vel vacua deprehensa, vel a bile atra spissa, calculis diversae magnitudinis et quantitatis nimis extensa, ductus billiosi deprehenduntur, aut nimis diducti, aut coarctati, vel per tumidas, induratasque vicinas partes compressi coarctati. Exhibuerunt denique sectiones cadaverum Ictero peremptorum varia vitia organorum abdominalium, Lienis, Pancreatis Ventriculi, ac Intestinorum. Nec desunt exempla ubi in cadaveribus Ictericorum praeter colorem abnormem, quidquam morborum detectum est.

---

## VII. T h e r a p i a

Jam ex data descriptione morbi clare fluit, quam multiplex cura J. institui possit. Gradus interdum morbi tam levis est, ut sanationis spontaneae subsequendae affulgeat spes, quo in casu curam ejus salutifero conamini naturae tuto concedet medicus, saltem potentiarum nocentium influxum sedulo arcebit; ast longe frequentior datur occasio observandi morbum ubi artis salutiferae auxilia exoptandi exurgit necessitas.

Etsi Therapeutae nonnulli singulari amore, et confidentia erga certa remedia ducti, eadem vix non omni in casu absque discrimine commendare soleant; uni lateralem tamen hanc curandi methodum, semper, et ubique adhibendam, jam ipse varius quo J. oritur modus disvadet. Juxta principia medicinae rationalis procedendo triplex sit, quam medicus in curando hoc morbo exequendam habet Indicationem. Prima ejus attentio in causas morbum excitantes, aut sustentare valentes convertenda erit, quas conabitur exquirere, influxumque illarum in organismum abnormem si non penitus tollere, saltem mitigare intendet; tum morbum curabit juxta naturam ejus, ac tandem Stadium Reconvalescentiae debite tractabit. Generalia haec principia variam in casibus individualibus patiuntur modificationem.

Multiplices vero sunt causae excitantes, quarum diversitas, ex variis in organismum agendi modis, multifariam exposcit medendi methodum. Si ad genesim morbi sordes gastricae ab alimentis natae conferant, evacuatio harum pro diversis turgescitiae signis, jam emeticis, jam purgantibus instituenda est; pro emetico ta-

men rarior adest indicatio, cautusque sit in hujus exhibitione medicus, ne fors per incautum usum emetici, inflammatio hepatis mitior praesens, non raro difficulter dignoscenda, mitissimis saepe remediis cedens exasperetur, periculosaque evadat; frequentior vero indicatio offertur pro purgantibus: solet enim ni polycholiae locus sit, cum J. alvus obstipa perseverare, quae variis, pro diversitate aetatis, gradus obstipationis, et constitutionis individualis, reseratur remediis: Non raro sufficit clyσμα, aut purgantia mitiora salina exhibere ut crem. tart. cum magnesia, vel arcanum dupl. salem Glaub. in Dcto quodam solvente ut taraxaci, graminis; si ob torpidiorem statum tubi intestinalis purgantium horum mitiorum virtus eludatur, tunc efficaciorum usus commendatur ut fol. sennae, rad. rhei, jalappae, imprimis vero aloë, cui in sanando J. cel. Wedekin virtutem specificam tribuit, exhibentur haec remedia forma, et dosi medico nota: ita quoque si a bile atra spissa, a colluvie pituitosa liberum bilis meatum impediēte exortus sit J. tunc indicatio exurgit liberum bilis in duodenum effluxum procurandi, hoc scopo pariter remedia solventia, ac evacuantia respondebunt. Qui per purgantia producit salutaris effectus, alter est, ut evacuando sordes intestinales, liber bilis in duodenum ingressus concedatur, antagonisticus alter quo irritatio nempe, et secretio succorum inquilinorum in primis viis adaugetur, irritatio vero cutis, et secretio bilis in aliis partibus immittitur.

In Ictero qui per spasmus, ductum imprimis choledochum afficiente, evacuationem bilis in tubum alimentarem cohibente, producit, antispasmodica exhibentur pro circumstantiis varia, ita quidem si animi

affectus sint causa occasionalis, tunc chamomilla, melissa, mentha, vel efficaciora, ut valeriana Opium c. ipecac. quodsi per refrigerium suscitetur, tunc talia antispasmodica, quae una in cutis transpiratione agunt commendari merentur ut Spir. Mindereri, camphora, pulvis Doveri si alvus una obstipa esset, tunc antispasmodica cum purgantibus imprimis aloë in connubio cum valeriana utiliter exhibentur.

Contra J. qui hepatitidi associatur, methodus Antiphlogistica, individualitati, et gradui inflammationis accomoda indicatur. Qui per vermes intestinales excitatur, remediis antelminthicis individualitati accomodatis in connubio cum purgantibus cedit. Qui febris intermittens Symptoma est, praemissis solventibus, et evacuantibus, corticis chinae usum exposcit. Per morsum vero viperarum serpentumque productum, cujus proxima causa spasmus vesicae felleae, et ductus choledochi contenditur esse, antispasmodica imprimis praeparata amoniae sanant.

J. Neonatorum singularem tractationem non exigit, plurimis enim in casibus, ni hepatitidis, et tum methodum antiphlogisticam strictiorem exposcens, comes sit, balneis tepidis, et meconium spissum evacuantibus remediis, ut: Clysmate emol. syr. mannato. syr. cichorei e. rheo, infuso rhei chin. aquoso aut inf. fol. sennae cum syr. cichor. c. rheo, suffertur.

J. Gravidarum quoque secundum principia dicta curatur; si vero hic a sola mechanica compressione, ac irritatione organorum cholopoëticorum per uterum gravidum producta, repetatur, tunc interdum circa dimidium graviditatis sponte disparet, vel saltem ultimo gra-



viditatis mense, mutato uteri situ evanescit, alias non nisi partu subsecuto suffertur.

Ast contra J. calculosum ars raris in casibus solum, quidpiam moliri potest. Indicatio hic est calculos solvere et evacuare. Varia autem ab observatoribus magnis proposita, tentata, et commendata, quibus calculi biliosi resolvi possunt remedia parum profuere, ut: aqua calcis, carbonas kali, et natri, sapo, fel tauri inspissatum, tartarus emet. Spir. terebinthinae in connubio cum aethere vitrioli. Non obstantibus tamen conatibus medicorum in adinveniendis remediis huic scopo inservientibus, fatendum est, remedia quae calculis biliosis resolvendis, et evacuandis idonea essent, medicis parum nota esse. Stupendae sunt autocratiae naturae vires medicatrices, quae ingentis saepe magnitudinis calculos in tubum alimentarem evacuat, et Icterum per hos sustentatum tollit. — Quantum ars in divo hoc morbo opitulari queat, his innititur; ut praecaveatur calculorum genesis, et incrementum, quod per remedia leniter solventia producitur: optime non raro hoc scopo convenit usus aquarum soteriarum sales alcalinque continentium, sub quarum usu diu continuato saepe calculi secessere; vitae regimen quoque ita coordinandum erit, ut vita otiosa sedentaria calculis generandis favens, porro: animi affectus Ira imprimis, tum potus spirituosus sollicitè evitentur; sub ipso vero insultu, cum per transitum calculorum inductum choledochum, inflammatio non raro excitatur, alias tantum ob sensibilitatem exaltatam summis aeger divexatur doloribus; opem feret medicus in casu primo per methodum antiphlogisticam strictiorem hirudinum applicationem, interne vero exhibitis emoll. mucilag. dctis; in posteriori vero per frequentem appo-

sitionem. cataplasmatum emoll. narcoticorum; interne autem per opium in emulsione, aut in connubio cum Ipecacuanha. In curando denique J. sympathico, symptomatiko, vel metastatico, indicantia curae, morbi protopathici suppeditabunt.

Neque tamen semper succedit, causas morbi exquirere, aut his licet detectis morbum sufferre, chronicum tunc adipiscitur decursum; quo in casu Therapeuta attentionem scrupulosam in statum dynamicum morbum sustentantem convertere, eumque definire intendet, qui varius esse potest. Frequentissima datur occasio detegendi Infarctus abdominales. In causam hanc proximam agendo, remedia solventia indicantur, inter haec recensentur; Taraxacum, cherefolium, fumaria, cichoreum, saponaria chelidonium minus; vel succi recentes harum plantarum usuantur, vel decocta aut extracta earum. Remediis his leniter solventibus si alvus obstipa foret adduntur sales purgantes ut arcanum duplic. sal mirabilis Glauderii etc. hoc scopo etiam cum utilitate usus instituitur acidularum sales hos continentium quales sunt: Egeranae, Selteranae, Sajcsicenses, Pilsnavienses vel therm. Budensium, therm. Carolinarum, si Infarctus remediis his non cedant tunc solventia efficaciora in auxilium vocari debent, ut sal amoniacus, tartarus emet. dosi refracta, et alia praeparata Antimonia- lia, vel praeparata Hydrargiri.

Non raro J. chronicus sustentatur per infarctus abdominales cum sensibilitate Systematis nervosi exaltata: quo in casu indicata erunt talia remedia antispasmodica, quae virtute una solvente gaudent huc pertinet cautus usus, Assae foetidae, Cicuta, Belladonnae, Digitalis purpureae, acidi hydrocyanici, aquae lauro cerasi.

Observare licet interdum Icterus cum infarctibus per irritabilitatem Systematis haematophori sustentari; ad quem curandum optimum exserunt effectum acida jam vegetabilia, virtutem horum superant mineralia ut: acidum Halleri, acid sulfur. dil. acid. muriat, nitricum dosi moderata; acid. muriat. cum nitrico conjunctum sub nomine aquae regiae notum, externe quoque in balneo adhibitum eximios praestitit effectus. \*)

Status denique torpidus organorum cholopoeticorum J. sustentans, remedia stimulantia, ac roborantia caute adhibenda exposcit.

Superato morbo superest, ut stadium Reconvalescentiae debite tractetur, recidivaque impediatur: quem in finem longo adhuc tempore usus remediorum sub decursu morbi adhibitorum, solventium imprimis individualitati accomodatorum continuandus, regimen vero vitae ita coordinandum erit, ut aër impurus, affectus animi ingrati, vita sedentaria, cibi flatulenti, potus spirituosi solícite vitentur; vires denique organismi, ne fors labefactatae debitum in tenorem, per usum roborantium restituantur.

---

\*) Sec. Cel. Scott.

## **T h e s e s.**

---

1. Remedium absolute specificum contra nullum existit morbum.

2. Medicus Amicus, optimus Medicus.

3. Sanguis est humor vitalis, sua gaudens vitalitate.

4. Aeducatio prolium influxum exerit magnum in sanitatem, et morbos illarum.

5. In curandis morbis, sola eorum cognitio symptomata, minime sufficit.

6. Phthisis pulm. morbus periculosus quidem, neque tamen semper letalis.

7. Arthritis, et Rheumatismus essentialiter differunt.

8. Concisio cataractae in individuis junioribus ceteris operandi methodis praeferenda.

9. Partus serotini possibilitas legibus naturae nequam repugnat.

10. Dentes sunt appendices systematis Dermatīci potius, quam ossei.

11. Conditiones sanitati faventes, ruri praevalent illis, urbium populosarum.

12. Inoculatio vaccinae quia optima prophylaxis diri variol. morbi, ideo Physicorum interest providere de sollicita, et debita ejus administratione.

